

12  
A.D.  
95

DISSERTATIO PHYSICA

De

COLUMBIS.

*Quam*

Ex consensu & approbatione Amplissimæ FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ, in Regia ad auram Academiâ,

Sub PRÆSIDIO.

C: VIRI

M. PETRI HAHN,  
Scientiarum Naturalis Professoris, & Acad. Bibliothecarii, Mecenatis & Patroni sui magni,  
æternâ animi veneratione su-  
spiciendi :

Publico eruditorum examini submittit

JONAS Z. HIELMERUS,  
Wex-Smol.

In Auditorio Majori

Ad diem 22 Julii ANNO MDCXCVII.

---

ABOÆ, IMPR. APUD JOH. LAURENTII WALLIUM.

## SACRAE REGIE MAJESTATIS.

FIDELISSIMIS VIRIS,

**N**OBIL. D<sup>N</sup>. DIDERIC<sup>O</sup> L<sup>E</sup>YDNERG<sup>I</sup>Vestigium matitiorum per Einlandiam. Inspector circum-  
spectissimo, Nutritio suo devoto pietatis zelo, maxime suspi-  
ciendo.

Amplissimo &amp; Consultissimo Domino;

**D<sup>N</sup>. GIURDONI** T<sup>O</sup>MELEGREEM<sup>I</sup>Regii Dicasterii Aboensis Assessori & quissimo, Patrono & Pro-  
motori reverenter colendo.**N**OBIL. D<sup>N</sup>. ANDREÆ G<sup>O</sup>PPENRÖDR<sup>I</sup>Dominus de Rusluz de Raulansu Regii Dicasterii Advocato Fiscale  
accuratissimo. Benefactori & ratem suspicioendo.**N**OB. D<sup>N</sup>. CHRISTIERNO L<sup>E</sup>YDNERG<sup>I</sup>militie pedalis s. Significo strenuissimo, Egerer benevolo, sem-  
per honorando.

Nec non

**N**OB. D<sup>N</sup>. NICOLAO G<sup>O</sup>PPENRÖDR<sup>I</sup>de Rusluz & Raulansu Promotoci benevolo, humilium officiis  
praelevando.**N**OB. D<sup>N</sup>. GABRIELI L<sup>E</sup>YDNERG<sup>I</sup>

Fautori ut propensissimo, ita temper amando.

**R**everendo D<sup>N</sup>. MICHAELI CASTRENIO, Pastori

in Ximto vigilansissimo Benefactori pl. honorando.

**D<sup>N</sup>. JOHANNI S<sup>O</sup>R<sup>M</sup>U<sup>M</sup>** Fautori sin-  
cere veneratione.**D<sup>N</sup>. ANDREÆ MALMELIN**, Civitatis Aboensis.

Vice Senatori &amp; quissimo, loco Patriis officiosissime collato.

**D<sup>N</sup>. NICOLAO FONTELIO**, Verbi Divi Ministr<sup>a</sup>

in Ximto per vigili, Fautori &amp; amico honorabilissimo.

Hoc qualcumque munusculum sacrum est.

**N** corporibus etiam inanimatis, pa-  
tronis & fauторes honorandi, magna  
lucere miracula naturae, videntur.  
Heliotropium suum semper veneratur  
solem. Magnes semet ad suum tem-  
per obvertit polum. In Aphæra Cœlesti lucifera  
stella suum præcurrat solem. Sed quorū hæc  
Patroni & Fauторes adamanti; scilicet hoc voluit  
omnium rerum creator, superioribus, nostrisque  
Benefactoribus reverentiam exhibendam esse.  
Mili proinde nec fas esset, prius huic Musarum  
palladio extremum dicere vale, quam vobis  
Patroni & fauторes suspiciendi, aliquod gratitudi-  
nis documentum relinquerem. Accipite proinde  
hunc ingenii mei fœtum voltu sereno hæc immatu-  
rum, ne dicam abortivum, vestra vicissim in  
me impensa beneficia nulla oblitterabit obliuio,  
qui sum

**VESFRARUM AMPLITUDINUM**

**Vestrarumque Dignitatum**

*Devotissimus Cultor*

**JONAS HIELMERUS Smol.**  
**Auctor & Relp.**



A. D. 13.  
DISSERTATIO PHYSICA

De.

# COLUMBIS.

*Quam*

Ex consensu & approbatione Amplissimæ FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ, in Regia ad auram Academiâ,

Sub PRÆSIDIO.

*C: VIRI*

## M. PETRI HAHN,

Scientiæ Naturalis Professoris, & Acad. Bibliothe-  
carii, Mecænatis & Patroni sui magni,  
æternâ animi veneratione fu-  
spiciendi :

*publico eruditorum examini submittit*

## JONAS Z. HIELMERUS,

Wex. Smol.

*In Auditorio Majori*

Ad diem 22 Julii ANNO MDCCLXIX.

---

ABOÆ, Impr. apud JOHANNEM WALLIUM.

*Reverendissimo in CHRISTO Patri ac Dominis,*

# M. SAMUELI WIRENIO,

Inclytæ Dœcessios Wexionensis Episcopo Eminentissimo,  
Venerabilis Consistorii Antistiti gravissimo, Regii Gymnasii  
Scholarumq; per eandem Dioecesin Ephoro Amplissimo.

Patrono meo magno summa animi veneretione ma-  
xime suspiciendo.

*Admodum Reverendo & Praeclarissimo Domino,*

# M. ENEVALDO WIDEBECHIO,

Civitatis Wexionensis & Bergundensium Pastori meritissimo,  
Dœcessios Wex: Archi-Præposito adcuratissimo, Mæcenati & Pro-  
motori ævitemur devenerando.

*Sicut &*

*Pluriuum Reverendis & Praeclarissimis Dominis Magistris,*

# LECTORIBUS Regii Gymn. Wex: solertissimis, ut ante Præceptoribus fidelissimis, ita nunc Promotoribus certissi- mis, singulis singulariter honorandis.

*Perquam Reverendis, Clarissimis & Venerandis Dominis,*

Dn. HENRICO COMERO, Pastori in Långaryd  
vigilantissimo, & Præposito in territorio Wessboënsi accuratissimo,  
patrono meo per benigno, patris in loco officiosa mente colendo.

M. ANDREÆ BOLINO, Pastori in  
Horscheda optime merito Evergetæ colendo.

M. SVENONI HÖÖRS/ Pastori in Nöbbelöf  
vigilantiss: Fautori & Benefactori meo obsequiosa mente colendo.

Dn. LAURENTIO TORPENSI, Pastori in  
Torsinge vigilantissimo, Fautori & amico perpetim honorando.

Dn. JOHANNI BODELIO, Verbi Div. Ministro  
in Sigudiboda pervigili, Amico & Fautori amicè colendo.

**N**on de nihilo est **O Patroni & Fautores sufficiendi**  
colendi, quod naturæ miracula etiam in in-  
animatis sese eruant, nostroque conspectu  
se sustant. **Heliotropium** suum semper seqvi-  
tur & veneratur Solem. **Magnes** ubicun-  
que terrarum sit, suo sese obvertit polo. In **Sphæra** etiam  
**Cœlesti** non obsimilis officii documentum invenimus:  
**Lucifera stella** inde sinenter suum præcurrerit Solem. **Hæc**  
& alia, etiam tacendo, clamant, imo exclamant: rveren-  
tiam deberi superioribus. O Vos Promotores & Fauto-  
tores, ad qvos nunc memet converto, per innatam ve-  
stram juvandi alacritatem, perque probatum vestrum fa-  
vorem, suscipite hilares meum hoc humilimum offici-  
um, in quo, si vobis gratum & acceptum me videro  
de ulteriori etiam benignitate obtinenda, mihi singuli  
spirant artus. Vestrum Divinum favorem, quo me am-  
plexi estis, ne videar in dubitationis altea collocare,  
certæ fiduciæ probatam vestram beninigitatem veluti  
documentum ulterioris benevolentiae demando, & vos  
O Patroni, O Mecænates, O Fautores suspiciendi,  
devenerandi, honorandi, Deo T: M: omnium benefi-  
orum largissimo retributori ex animo commendô, qui,  
p. 78. h̄r permaneo.

VESTRORUM

Amplissimorum

&

Clarissimorum Nominum

Debotissimus Cultor  
JONAS HIELMERS,  
Auct. & Resp.

In<sup>o</sup>

Virum Bruditione & Modestia Prestantissimum  
Ornatissimumq;

Dn. JONAM HIELMERUM,  
Smolandia Svecum,

De COLUMBIS dissertatione publicâ solerter & acutè  
disceprantem, Amicum & ömoxwesor perqvam  
honorandum,

Ex auctoritate.



ucundâ carer haud quidem figurâ,  
Ajunt qvòd sine telle sint COLUMBE,  
Ut quæ nempe nec ungibus rapaces,  
Nec tæda ingluvie simul voraces ;  
Sed castæ, specie satis decorâ,  
Et grato pariter colore plumæ,  
Raucâ qvin neqve voce displicentes.  
Illas dat propriæ eruditionis  
HIELMERUS specimen , petens cathedram

Per-

Pergnavus Sophicam, studens Minervam,  
Ostendensque animi notam modestiam,  
JONAS dictus ab arduis Columbis,  
Adversarius est ut opprimentum.  
Sed quando opprimit arte Dædalæ  
Quosvis, & thesibusque resistantess  
Aut argutialis strophisve vafvis,  
Aut pravâ invidiâ doloque iniqvo;  
Et virtutibus undiqvâque claret,  
Ferventem invidiam & dolum recundens:  
Est veraciter ipse reque JONAS,  
Prodens in cathedrâ suas Columbas.

*Gratulabundus apposuit*

**PETRUS LAURBECCHIUS,**  
S. S. Theol. Doct.  
& Prot ordin.

ad.

Ad

Minervæ Satellitem indefessum,

DN. JONAM HIELMERUM,

SMOL.

Amicunt & Conterraneum dilectum,

De  
COLUMBA,

Egregiè publicâ disputatione differentem:

**C**haonis ales erat pris . effictim ada-  
matus ,  
Imbellis, cautâ simplicitate vigil,  
Milvinum genus an metuas HIELMERE  
Columba?  
Accipitrem vincitum sœpè fuisse legas!

L. Mq.

Tantillum misit

ELIAS ZYLANDI

Med. Doct. & Prof.



On sine ratione, saniores physici hoc axioma proponere voluerunt: *In minimis natura est maxima*; quippe recto Judicij oculo omnia naturae miracula, verè miranda, secum perspentes, viderunt non tantum artificium creatoris in amplissima Cœli machina, quantum in minimis animalculis clu-  
cere. Incomparabile omnino opificium est vastissimum Cœli Corpus, quod suā amplitudine comprehendit omnia, complectiturque singula; mirabilius tamen in parvulis animantibus cerni-  
tur artificium; in illis enim Spiritus animalis, animaque vitalis,  
non in sui solius conservatione acquiescent, sed & de Prolis pro-  
pagatione sunt operosi, quod vix Cœlum, tam immensę vastitatis  
corpus efficere potest. Potest præterea anima brutorum, sua cor-  
pora, non tantum in gyrum ducere, uti hoc ipsum facit Cœlum,  
quod vix tamen terra, vix denique singula, sura, hac vitali caren-  
tia præstare possunt. Hoc egomet bene diuque perpendens, ap-  
plicui animum ad ulteriorem animantium contemplationem, in  
quā dum animi dubius hæsi, mihi hæc demum stetit sententia,  
ut aves pulcherrimas levi penicillo depingarem. Perfectam equi-  
dem ornithologiam, mei conscius tenuissimi ingenii non promit-  
to; quæ quidem exactum ingenii acumen effugitat. Vires nunc  
ingenii teneras in speculationem Columbarum expatiari volui,  
non tantum cā de causa, quod nomen meum ad eas allu-  
dit, sed etiam quod, sepiissime in Sacris pandectis earum sit men-  
sio, & quidem summo cum encomii decore. Utar viā simplici,  
simplicitatem enim semper amavi. Sit itaque.

A

MEM-

MEMBRI PRIMI

De

*Columbis in genere.*

§. I.

**N**on specie Columbarum varia quamvis sint genera (non tamen strictè & philosophicè accepta nomine generis) hæc unica tamen definitio illis omnibus non erit inconveniens, quam ingenuè fatemur nos mutuos fuisse à Physicorum celeberrimo Sperlingio, quæ sic habet: *Columba est avis gemens, simplex, munda, mitis & innocens.* Anteqvam ad singula specialia descendamus, non de nihilo fore speramus, si de hujus aviculæ, non minus quam aliarum creatione, pauca præmittamus. Materiam avium constituit Moses, *aquam*; sed qvoniam sola aqua, utpote elementum simplex, non sufficit ad constitutionem alicujus corporis mixti; ideoque nos distinguimus, inter materiam *in qua* & sic obtinet hic locus mosaicus, & materiam *ex qua*, quam nos existimamus fuisse atomos aéreas, igneas & terrestres, unde minime excluduntur aqueæ, quia hæc minima elementorum immersa erant aquæ. Tempus creationis avium, non est in dubium revocandum, cum ipsemet DEI amanuensis divinitus inspiratus fateatur omnia animalia, *qvinto creationis die*, esse producta, & præcipue dicit, quod aves eodem die sint creatæ. Formam avium in genere, dicimus esse animam irrationalē, quæ tamen contradistinguitur reliquorum animalium formis in suo *esse particulari*, quod mens humana non à priori, sed post-

*o Gen. L. D. 20.*

riori

33

riori cognoscere potest. Propriam & specificam formam haber quilibet animalium species, licet sub hoc generali conceptu nuncupetur anima irrationalis, quod sit propter evidentem distinctionem, quæ occurrit inter hominem, & reliqvas creaturas, quæ hujus eminentiae participes non sunt, ut dici mereantur rationales. Dixi unius speciei formam contradistingvi formæ alterius speciei, quod ab effectis cernere licet, Columba non ejusdem animositatis est cum accipitre, vulture aut aquilâ, qvod tamen non minus ab anima, quam temperamento provenit, provenit à temperamento, qvatenus illud servidius & calidius sit: provenit & ab anima, cui Deus hanc implantavit indiditq; naturam, ut ex prædâ vitam sustentaret, sed de hoc satis. Finalē causam proximam, mens humana non assequitur, ultimam tamen novit qvivis impiger naturæ spectator, esse gloriam Dei. Intermediam etiam possumus tales constituere, scilicet cedere homini in alimentum, & delectamentum nec non naturæ complementum.

### §. II.

Colores, externamq; figuram columbarum non attinget deprædicare, qvippe qvæ omnibus sunt obvia, adeo ut si hæc ipsa depingerem, viderer dubitare de cuiusvis lectoris propria experientia. Nostrum itaque propositum erit in hoc paragrapho, quasi per anatomicam sectionem ad interiora Columbarum penetralia descendere, & penitus videre, qvam sit gemens uti hoc ipsum restatur Scriptura Sacra, quando assimilat Ninivitas exi-

hūm

4

lum subituros Columbis gementibus.  $\gamma$  Idem confirmat alibi exemplum Hiskiae, gratias agentis Domino, quod dies suos prolongarit ad annos quindecim & ita habet textus in vulgata versione: Clamavi sicut hirundo ingemuiq; sicut Columba; quamvis non nesciam etiam quosdam Legere: meditatus eram, sive meditabar, tamen non æque ad palatum est, nisi dicas translatores voluisse significare anxias mentes, quæ varia meditantur, inq; utramque partem rem quamlibet secum deliberantes, quasi per suspiria voces edere. Danus textus habet ieq; surrede som en Dwe. Germanus vertit sic: und ich gäret wie eine Taube. Svecana versio non absimilis oðr snukrabe sôsom en Huswa. Sperlingius addit rationem, quare gemit, talem; quia vocem habet suspiranti similem. Si meo mihi uti liceat ingenio, facile dixerim causam gemitus Columbarum esse, quod sibi sint conscientiae, quam imbelles simplices & innocentes sunt, & tamen semper versantur in periculo, & præterquam quod talis vox ab ipso creatore sit indita, existimo superfluum illum humorem melancholicum, qui læpissime gutturi molestus est, in hujusmodi sonum lingvam adigere. Non cum Muarrone facimus, qui existimat, per quandam ὄροπα των οἰωνῶν Columbus sic esse dictas: nam sonus vocis ipsarum, nec aptè convenit cum latino, ne dum græco vocabulo; nam quid vox illarum, UU cum his πελεγί, οὐαί, Φαιψ. Φάσσαι τούγαροι sive columba cœnate, phabe, phassa & turture simile habet; nos existimamus ex libera dispositione ornithologorum illis hæc nomina imposita esse.

§. III.

$\gamma$  Nahum 2. v. 7.  $\delta$  Esa. 38. v. 14.

**O**mniū avium simplicissimas esse columbas, dicunt naturæ periti, confirmat S. Scripta ubi Salvator ipse inquit Apostolis: *e*stote prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbae. In hoc loco quāvis non erat mens ipsius Christi ex Professo demonstrare simplicitatem Columbarum, tamen ex accidenti per ep̄solam propositam hoc fecit, qui quum os veritatis, non facile crediderim quemquam huic loco classico contradicturum. Hanc tamen simplicitatem cum aliquali prudentia conjunctam habent Columbae, ratio inpromptu est; quia ē louinqvo agnoscunt milvos & accipitres, quos pernici alarum remigio fugiunt, & se in abditis locis abscondunt, quo si non facerent, hæc simplicitas mera esset stultitia. Hinc versus.

*Felle columba caret, rostro non ludit & ungues,*

*Possidet innocuos, puraque grana legit.*

*Gaudet aquis, queriturque greges, celerique volatu,  
tuta petit fetus, educat alterius.*

**L**ongos non nectimus verborum mæandros de mundicie Columbarum, cum omnibus per quotidianam experientiam constet ipsas non simum aut cadavera quærere, sed granis selectioribus velci. E nidis suis omnem immundiciem excutiunt, aquis etiam non stagnantibus, sed torrentibus delectantur, in quibus se se lavant abluuntque & ne insectis affligantur, pulvere semet conspergunt, quem demum aqua pura abluunt. Nullam præterea internam immundiciem, penes ipsas cernere licet; quoni-

am conjugem marem, quem amantisimè basis amplectitur Columba, qui iterum sui non immemor officii alternis vicibus, dum fæmina sibi victimum acquirit, ova fovet pullosque excludit. De turture etiam ornithologi scribunt: quod defuncto conjugum altero, supervivens semper sola in perris aut excelsis arboribus vitam degat, & nunquam pristinum amorem illa oblivione labefactari sinat. Huc alludit Regius Psaltes, quando nomine Ecclesiæ precatur DEum, ne animam suu turturis bestiæ tradat & quasi diceret: Domine Deus, qui tuam Ecclesiam tibi despontatam habes, quæ omni nisu, quantum in hac infirmitate fieri potest, te timet, amat ac diligit, sis etiam memor fœderis tui & extende brachium tuum super inimicos, ejus ne effundant suam fævitatem in simplicem tuum gregem.

§. V.

**A**liqvos esse, qui negant bilem in columbis, & rationem delumere ab effecto contrario, scilicet *innocentia* novimus; verum nos existimamus ipsos hærere circa corticem & nucleus non invenire. Non tantum concedimus, sed etiam statuimus Columbas esse mites & innocentes, bilem tamen ipsis adsignamus, non tamen in tanta copia, quantum habent perplurima avium genera, & præcipue rapacium rationem assertio[n]is adne[st]imus talem: sœpè compertum est, columbas invicem de mares, & iterum mares de fæminis, de nidis, de pullis de esca & aliis certare, quod evidens est argumentum, Columbas non destitui bile; qvoniā autem, in illis, non ut in aliis luxuriant bilis & calidi spiritus animalis, non tan-

tae

7

ter sunt animositatis, ut alias alites aggredi hostiliter tentent. Super omnia anatomia Columbarum ad oculum demonstrat, bilis non minus in hac, quam aliis volucribus dari. Nulli alitum est molesta, plurimarum vero injuriis infestatur, propter quod prævida mater rerum natura, perniciissimum volatum ipsi assignavit, adeo ut visum accipitrem licet acerrime inseqventem, sua tamen celeritate fallat: quum vero improvida pennis ludit, non raro cedit ipsi in *prædam*.

### §. VI.

**U**squej hue proprietates internas expendimus conseqvens nunc esset, ut de nidificatione, pullorum exclusione, &c educatione, nec non ætate diceremus, sed quoniam non fert instituti ratio prolixitatem illam; ideoque sicco, quod ajunt, pede, hæc ipsa tanquam omnibus obvia prætergrediamur, &, tanquam in transcurso nuda tantum nomina exprimimus, ut sunt: *Columba hirsutis* pedibus: *Columba cristata*: *Columba crispis pennis*: *Columba Cypria cuculla*: nec non variæ *Columbae Cypriæ* aliæ: *Columba Cretensis*: *Columba gutturosa*: *Columba Indica*, & *Indica* rostro anatis: *Columba Turcica* & *Persica*: *Columba Saxatilis*, *palumbus torquatus*, *Turtur*: *Turtur Indicus*, & *Turtur albus*, plura de his videre licet apud Aldrovand. quo cupidum lectorem ablegamus & remittimus. ¶

# MEMBRUM SECUNDUM,

## De Columba Noe in species.

### §. I.

**N**ostra nunc meditatio occupabitur in descriptione Columbæ Noachi, sic dictæ, propter obedientiam ipsi præstitam, cum folium Olivæ ad iplum transportarit. & In primis dicimus fuisse, non supra naturalem, qualem Turcæ dicunt columbam Mahomedis: quæ grana ex aure ipsius excerpere edocta erat; sed naturalem Columbam, quam una cum reliquis brutis arcæ incluserat, antequam universalis ille cataclysmus celsissima montium fuga, non minus, quam planiciem & convallis operturus erat. Cujus autem generis columba erat, quum non indicat Moses satius existimo non curiosè & petulanter inquirere, ne videamur sapiendo insipere. Naturalis quandoquidem erat, ejusdem formæ erat cum reliquis columbis. Finalē causam emissionis in genere dicit scriptura, fuisse desiderium Noachi cognoscere arida num adhuc appareret. In specie vero quare Columbam emiserat, hæc esse potest; quia simplex, munda & mansveta erat, quæ nullis escæ generibus, nisi granis, herbis aut aliis bene sapidis floribus vesci affveta erat. \* Quæ cum non invenerat, ad arcam properavit, prima vice nihil pro signo referens, iterata autem expeditione, non ut corvus, caderibus adhæsit, sed signum retulit Noacho, quod præter Mosen, etiam Prudentius in dittochæo his distichis testatur:

Nun-

\* Gen. 8. v. 5 n. i Aldrovani dicto loco. n Vide eundem Aldrovani:

Nuncia diluvii jam decrescens ad arcæ,  
Ore columba refert ramum viridantis olive,  
Corvus enim inglorie per fæda cadavera captus,  
Ne ferat, illa date redebit nova gaudia pacis.

Mitis autem & simplex Columba, licet tanto tempore inclusa  
fusset claustris arcæ, quando hæc cymba Deucaleonis &  
fluctibus circumquaque agebatur, tamen suum non de-  
stituit stabulatorem, quin folium Olivæ in certissimum  
cessantis diluvii signum, secum ipsi retulit. Unde verò  
hoc folium desumptis variæ variorum sunt sententiae:  
Rabbini dicunt huic Columbæ Deum aperuisse portas  
paradisi, ex quo attulerat hunc ramum, cum omnes ar-  
bores fuerant per diluvium eradicate, quam sententi-  
am etiam Bellarminus cupide amplectitur & existi-  
mat aquas diluvii eò usque terrarum non pertigisse.  
Quidam existimant Columbam Noiticam ex monte oli-  
varum hunc virentem surculum attulisse, & sic statuunt  
aquas terram Israëliticam sua illuvie non inundasse: sed  
quoniam Scriptura apertis verbis affirmat, *Aquas diluvii*  
*cooperuisse omnes montes excelsos sub Calo* <sup>r.</sup> non possumus,  
quin, tanquam fictam & erroneam hanc sententiam re-  
jiciamus & preesse testimonio Spiritus Sancti inhærea-  
mus. Incertum adhuc est, an paradisus secundum senten-  
tiæ Divi Augustini sit situs in monte juxta Oceanum,  
vertice suo pertingente ad circulum lunarem.  $\zeta$  Ad-  
huc si Lector benevolus inspicere velit Itinerarium Scri-  
pturæ Sacrae Lælii, videbit quidem mentem auctoris esse

## B

talem;

<sup>a</sup> Ovid. lib. I. mesam: pag. m. 18. <sup>v</sup> lib: de grat: prim: ho-  
minis Cap. 12. <sup>r</sup> Geof. 7. verf. 9.  $\zeta$  lib. ad Crostium de  
Paradiso.

talem: *Paradisus in eodem loco erat ante Diluvium*, quo posse  
*terra Iudea, & arborem vetitam stetisse eodem in loco, quo Christus*  
*cruci affigebatur, quod quidem verisimile videtur; sed non a-*  
*deo certum, ut veram thesin constituat.* Licet autem  
*Paradisus fuisse ibi, tamen adhuc ficalnea est assertio,*  
*scilicet aquas eo non pertigisse, propter contradicentem*  
*scripturam, & modo citatum auctorem, qui expresse di-*  
*cit: hic *Paradisus (terrestris) per diluvium interiit**.  
*Quidam existimant hanc arborem olivam semper viren-*  
*tem tanquam *au<sup>n</sup>us* etiam existente diluvio  $\pi$  in con-*  
*sveta natura perstibile, unde colligunt non absimile*  
*fore, si dicant columbam surculum perpetuo virentis oli-*  
*vae attulisse, quæ quidem tentatio non plane destituitur*  
*rationibus; quia textus expresse loquitur de animatis per*  
*diluvium interitum subitulis, & quoniam oliva non ha-*  
*beat vitam propriæ sic dictam; ideoque illa sicut & reli-*  
*cuae arbores, videtur ab hoc interitu liberata; acutē tamen*  
*si velimus textum inspicere, & deprehendimus Deum rui-*  
*nam minari *omni substantie*, unde nequaquam excipi pot-*est* oliva, quapropter beati Megalandri sententiam cum*  
*veneratione amplectimur, quæ sic habet: Quod igitur Co-*  
*lumbia afferat folium olive, id non putabimus columbam ex sua*  
*industria fecisse: sed instruente DEO, paulatim clarius ipsi Noah*  
*voluit ostendere, quod resineas ejus memoriam, nec dum ejus planè*  
*sit oblitus. Itaz, buc folium ipsi Noah & reliquis Arce tanquam*  
*carceri inclusis, in singulare signum fuit, quo erigerentur & terram*  
*Ipem liberationis future conciperent.*

§. II.

• *Xerius in descript. parad. p. m. 57. & Aldrovand. de Columbi*  
*& Gen. 7. v. 4. • super cap. 8. Gen. Tom. 6. Witteb. f. 114. vide:*  
*Biblioth. portah. Raupii p. m. 369.*

**H**ic non otiosè posset quæri quomodo simplex hæc columba poruerat per integrum annum conversari cum tot feris animantibus, quæ nihil aliud, quam rapinam intendunt, cui omnino obnoxia foret hæc inermis columba; nostra talis est sententia: potuit Deus ab ipsa convocatione parium, naturam animalium suspendere, licet non voluit omnino adimere, ut post cessationem diluvii quodvis in suo prisco maneret statu. Sed dicat quis à posse ad esse, non adeo firma deducuntur argumenta, ut aliquid probent: tunc nos dicimus ipsum, qui in statum hunc calamitosum ipsa compulerat, ex singulari sua providentia, singulis adfuisse, sicuti fecerat cum Daniele, qui inter rugientes dimissus erat leones, & sicuti cum Jona in alvo balenæ, sicuti cum tribus viris in fornacem Babylonicā conjectis, φ qvis mihi Cicero dicat vires ignis, immanem rugitum simique sanguinis Leonum, & calorem Balenæ internum ad concoctionem chyli ordinatum, à speciali Dei providentia non esse suspenſa? Idem egomet hoc tempore Deum factasse mihi persuasum habeo.

**O**Economiam autem perfectam & incolumem rursus hic Justitiæ præco ex arca, ut dimitteret, quando Deo fuisset visum, fluxum hunc aquarum cessare facere, varia stabula, intra illa tria majoratabulata, fecerat Noach, quorum cancellis, similis naturæ animalia incluserat, adeo ut Leones, Tigrides, Leopardi, & hujusmodi plura unius horum includens, reliqua servarit domitis, mansuetis, inermibus & simplicibus, ne quidem denegans serpentibus

bus sentinam, & (amphibia autem non assumperat q<sup>u</sup>oniam non illa opus habuerunt hoc salvationis medio) singulis alimenta convenientia prospexerat, in annum spacum. In specie autem de columbis, quum sermo sit, existimandum erit, illas non minus, quam multas alias aves, certis distinctisq<sup>ue</sup> caveis tuisse inclusas, qua de re fusius scribens legi potest Georg: Casp: Kirchmayerus in suis deliciis astivis.

§. IV.

Enoptae apud Græcos erant ministri, quorum fidei demandatum erat, ut ex æquo biberetur, uti hoc ipsum testatur Cœlius Rhodiginus, hoc egomet immittitur, non permitto calamum nimis curiosè illa rimari, quæ fugiunt captum nostrum. Nam quomodo mens nostra singula Dei secreta scrutari poterit, nisi eadem in verbo suo scripto revelarit. Ne autem in hoc nostro simplici opere concinnando videamur, falcam in alienam messem mittere, altioribus ingenii reliqua, quæ essent dicenda de Columba hac Noitica relinqvimus, & pro nostra simplicitate acqvescimus in illis, quæ attulit Scriptura, & sana orthodoxia permittit. Ingens later mysterium in hac navi, columba, & folio seu surculo Olivæ. Navis super procellosas undas oberrans, significat ecclesiam militarem, quæ tandem ex beneplacito Dei, his liberata, in opratum deducitur portum; Columba significat Sp: S. qui cum hoc folio Olivæ (Evangelio) anxias animas huic mysticæ arcæ inclusas reficit, solatur & fovet.

§. V.

& Kirchmayerus in suis deliciis astivis de arca Noe.

Kirchmayerus occasionem etiam dedit, hanc quæstio-  
 nem quasi ~~magis~~ clausulæ loco insinuare, quid  
 sibi velit textus ubi dicit. *Dominus clausi januam post ipsum,*  
 ubi cum auctore existimamus Deum non tam organi-  
 cam januæ observationem, quam divinam arcæ conserva-  
 tionem indicare, quod alibi etiam confirmat facer codex  
 ψ dicens: *Manus Dei gubernavit hanc navim*, ut quævis  
 species creaturarum conservaretur in spem prolis, quia  
 Deus, finito sextiduo creationis, cessavit ab omni creatio-  
 ne, addita tamen creatis benedictione multiplicationis,  
 hinc non difficile erit videre, tot tunc fuisse species  
 creatas quot nunc, nec postea aliquam ex illis periisse.  
 Interim dicimus cum magni nominis Theologis: quo-  
 tidianam Dei benedictionem & conservationem esse  
 quasi nova creationem. Discursum hunc  
 claudimus dicentes:

JESU ZEBAOTH, HONOR !!

ψ Sap. 14. 3. 6. Gen. 1. v. 28 w 8. item Cap. 9. v. 1.

### COROLLARIA ~~supponens~~ addita.

I. Formæ non sunt ex sed in materia.

II. DEUS non agit contra; sed supra matu-  
 ram,,

- III. In bruta nulla cadit prudentia.
- IV. Sympathia & antipathia dependet a qualitatibus occultis.
- V. Cœlum est in loco.
- VI. Sol non est tempore matutino major, quam vespertino.
- VII. Stellæ non sunt partes Cœli.
- VIII. In omni mixto quatuor sunt elementa & tria principia chymica.
- IX. Non omne corpus est subjectum generationis & corruptionis,
- X. Anima differt ab intellectu & voluntate quam substantia ab accidentibus.
- XI. Temperamentum non est mistione Elementorum, sed qualitatum elementarium.
- XII. Temperamentum ad pondus non datur.

SOLI DEO GLORIA!

VIRO. JUVENI

Doctrinâ, Humanitate, vita morumque integritate Ornatisime,

DN. JONÆ HIELMERO,

Artium optimarum Cultori indefesso, de COLUMBIS  
publicè docteque differenti:

C ondecet exiguo tibi, JONA, Carmine grater,  
Totoque ex animo prospera quæque  
precer!

Praeclarum specimen monstras de avenamq;

COLUMBA,

Qvod quoque propugnas dexteritate tuâ.  
Sedulus hoc volvis, HIELMERE, ac mente sagaci,

Nec debes facti pœnituisse tui:  
Ergo animo forti latus concende Cathedram;

Eximiæ laudem sic Pietatis habes.

Diceris hinc rigidus nam miles in hacce Palæstrâ?  
Perge piis cœptis, charus eris Patriæ!

Pulchræ virtutis meritò tibi præmia tradet  
Patria; cum superis tute beatus eris.

Charus eris genitrici, tum quoq; charus amicis:  
Gratulor, & precor ut Te regat alma Trias!

Eaxit cunctipotens vivas in tempora sera!

Semper agas felix, prosper ubique! Vale!

Amico per dilecto adprecatur

MAGNUS ALM.

*Prestansissimo atque Politissimo Iudeni,*

**DN. JONÆ HIELMERO,**

Thesum hecum de Columbis Audori atque Defensori dexterime,  
ut Conteraneo invicissimo, ita fratri & amico juvendissime.

**J**am violæ florent, jam gramina mille colorum.

Quæ prius immitis, læserat aura, virent,

Ecce! triumphantes, emitunt jubila Sylvæ,

Lætitiae, & pompæ, quælibet arbor agit,

Nunc HIELMERO Tibi, quoque floret temporis ætas;

Ales qui monstras, qvid Cythereja siet..

Gratulor ex animo, tibi dilectissime JONA,

Sic porrò pergas, præmia digna feres.

Non aliter possum, qvin gratuler ipse labori,

Quem tibi fortunet, maximus ille DEUS!

Vive diu felix, Patriæ Matrisque coruscas,

Extremum vitæ, tempus adusque tuae!

*Honoris ergo apposuit*

**DANIEL B. TILÆNIUS.**

**N**on de nullo est, quod Tibi, Frates in paucis perdilecte, gra-  
tuler, siquidem raus consus, de terra materia tuum nomen  
significanti, hoc ipsum facit qui non solum verè est lauden-  
dus, sed ut successu temporis præmia tibi venditabit. Assidue itaq;  
hec, indagine justa tractas, nam hinc non tantum clarum tuum  
nomen eiucelcit, verum etiam columbam, nempe Spiritum Sanctum  
tibi adjutorem acqvisitis. Nunc non pœnitentia Matri in te sumptuum,  
Matarum quoque casta te sequi exoptat. Reliquum est, ad tuum  
inudabile propositum ex intimis meis cordis radicibus vovo, ut i-  
detæ qui columba specie adparuit nempe S.S. tibi benedicat. Ut il-  
luc tandem tibi ipsius honori, Marii tui solamini, cognatis & a-  
nnis gaudio Reipub: utilitati vergat

*L. SCHIERBECK.*

